33

FERALIS POMPA
SERENISSIMAE MARGARITAE AVSTRIACAE FARNESIAE CAROLI V. FILIAE

PER RR. DD. MONACHOS
Caſinenſes in Monaſterio S. Sixti de Plac.
Commorantes Celebrata An:
Domini 1586.

A R. D. IACOBO TRAMONTANA
Meſſanenſi Siculo Monacho Caſinate deſcripta.



PLACENTIAE,
Apud Antæum Comitem. 1586.

MVLTVM ILLVSTRI

CO: BERNARDINO MANDELLO PATRICIO PLACENTINO DOMINO OBSERVANDISSIMO.

CVM ſuperioribus diebus Traiani Dordoni domum meorum negotiorum cauſa profectus eſſem, fortè eũ deſcriptionem hanc funeris Sereniß. Margaritæ Auſtriæ Caroli V. ſemper Auguſti filiæ præſtantiſsimæ, & Sereniſs. Octauij Farneſij Plac. & Parmæ Ducis, dilectiſs. coniugis per R.D. Iacobum Siculũ Monachũ S. Sixti Plac. Ordinis Sancti Benedicti in eodem templo habiti, legentem offendi. Quod cum animaduertiſſem maximo sũ gaudio affectus, & pro mea in Dordonũ beneuolentia, & obſeruantia poſt negotiorum pertractationem, eũ rogaui, ab eo cõtendi, ac tandem exoraui, vt meis typis hanc funeris deſcriptionem, orationem, et

carmina edenda concederet, ſe mihi, & vniuerſæ ciuitati rem gratam facturum, cũ à me quotidie plurimi hæc omnia requiſiuiſſent; Neq; in eo ipſius D. Iacobi benignitati, qua maxima præſtat; neq; gloriæ, quam pluribus ſcientijs, & litterarum ſtudijs eſt adeptus, offuturum mihi perſuaſi; neq; ipſius Dordoni mei amantiſsimi nomini impoſiturum exiſtimaui, ſi hæc imprimerem, & ſub tutela tua publicarem; quem noui Sereniſs. Alexandri Farneſij huius Heroinæ fortiſsimi filij, et pro Catholico Rege ſingulariſsimi Belgicæ Gubernatoris ſtudioſſimũ, obſeruantiſsimumq; fuiſſe, quem optimè meritum de Farneſijs prædicari intellexi, quem demum ego mea ſumma cum admiratione colo, et veneror. Hoc ergo funus nomini tuo dico, et commendo; eiusq; defenſionem pergratam tibi eſſe cupio, cui Deus Opt. Max. optata ſecundet. Ex Prælo noſtro Plac. XX. Calen: Octob. 1586.

Humillimus Seruus

Antæus Comes.

IN FERALEM POMPAM Sereniſs. Margaritæ Auſtriacæ Farneſiæ Placentiæ, & Parmæ Ducis &c.

D. IACOBI TRAMONTANAE Meſſanenſis Monachi Caſinatis

AD MAGNIFICVM DOMINVM Traianum Dordonum

PRAEFATIO.

EA ſemper extitit Traiane amantiſſime noſtrę Congregationis erga Sereniſs. Farneſios Heroas obſeruantia, eaq; tot beneficiorum in nos collatorum memoria, vt ſemper, quæ ad eorum cultum pertinuerunt, ardentiſsimo flagrauerit adimplendi deſiderio: Nec dum tamē parte vel exigua debita perſoluiſſe arbitratur, occaſionem quidem ſibi offerri ſummopere exoptat, qua ſui amoris affluentiam argumentis omnibus adaperiat. Cum verò proxima hyeme Sereniſs. Margarita Auſtriaca feliciſs. mem. vxor noſtri Sereniſs. Ducis pudiciſsima, communi moriens cederet fato, quæ dū in terris vixit ſemper Sereniſs. mariti adeò in nos eſt æmulata patrocinium, vt vſq; in finem eos dilexerit, quos pari dilectione à viro affectos eſſe co-

gnouit

gnouit: Mortale ſuum ijsdem, tanquam præcipui pignus amoris ad nouiſsimã vsq; tubam, in S. Sixti baſilica reſeruandum ſtatuit: & ſic tanti patrocinij orbatos preſidio ſui cineris mauſoleo honeſtandos eſſe voluit, & quos ſuo obitu collapſuros ſenſit, ſui corporis præſentia releuandos legauit. Quarè noſtri cęnobij cætus tantum intimi amoris inditium attendens, & de immaturo ſuæ rariſsimæ Ducis interitu dolens nullis pepercit laboribus, ſumptibus; alumnorumq; ſuorum ſtudijs, quin grati cineres, ſecum quieturi congruis decorarentur honoribus, dignisq; exequijs ad præelectum venerarentur tumulum; Pyramidem pro baſilicæ amplitudine ſub hemiſpherio luxu magnifico erigendam curauit, quam ſententijs, diſtichis, ſymbolis, hieroglyphicisq; figuris inſigniuit. Tragico tecti panno templi parietes, diuerſis, epigrammatibus, hebraicis, græcis, & latinis vndiq; ſcatebant; in quibus defunctæ Ducis regales natales, probati mores, ardens religio, generoſi actus, felixq; finis connumerabantur, &, vt nil deſideratum à gratis omitteretur monachis adimplendum (licet omnia extinctæ Patronæ meritis longè inferiora extiterint) oratio fuit adiuncta funebris, quam iuſta virium mearum imbecillitatem, poſt miſſarum ſolemnia coram Illuſtriſsimo Principe Rannutio, vrbis Rectoribus, Proceribus, omniq; Placentino Populo habui. Quæ omnia tuis deuictus precibus, in vnum reſtringenda ſtudui: & nè rerum agendarum varietate lectorum mentes offundantur, hoc ordine cuncta diſponere ſtatui, vt primo de pyramide loquar; ſecundò de hieroglyphicis, & ſymbolis, quibus pyramis ipſa ornabatur: Tertio de ce-

remonijs

remonijs exequiarum , templiq; ferali apparatu ; Quartò diuerſa apponam epigrammata , quibus magna ex parte ædis parietes nigris operti pannis onerabantur ; Quintò orationẽ in funebrem ſubtexam . Vellẽ hæc pręterquàm fidis amicis,quibus(vt noſti) idem tecum eſt deſiderium , nemini impertiaris ; Nè fortè noſtri inculti ſermonis horrore peritorum lædantur aures : aut certè à Momis , Zoilis , cæteriſq; Theonibus paſsim carpar,quorum ſuſurrationes, vt Libycus leo capellas , paruipendam . ſufficiat mihi Traiani amantiſsimi deſiderium complere , cui ſi in vniuerſum non diſplicuero ; oleum aut operam non perdidiſſe arbritabor .

R. D. ANGELI PONTEVESII Foroiulienſis Prioris Caſ. Tetraſticon.

Margaritum candens rutilo ſi iungitur auro,
Pulchrior ex auro ſplendida gemma micat.
Sic candens rutilat mortali carne ſoluta
Margarita, angelicis aſſociata choris.

SCIPIONIS BENDINELLII Epigramma ad tumulum.

Filia quæ quondam Caroli, germana Philippo
Heſperiæ Regi viuere digna fui;
Quæ Octaui Herois coniux, felixq; videbar
Mater Alexandri, nunc tegor ære cauo.

IOANNIS PONTII PARMENSIS.

Flandria me genuit Carolo genitore, puella
Iungor Alexandro, nobilis Arne, tuo;
Poſt hunc Romulides duxit Octauius, ex quo
Facta parens cunctis matribus inuideor.
Auſtria, mox Medicea fui, Farneſia demum
Margarita, & Belgis lexq; Amiterne tibi.

FERALIS POMPA
SERENISS. MARGARITAE
Auſtriacæ Farneſiæ Caroli V. Filiæ.

PER R. R. D. D. MONACHOS Caſinenſes Placentiæ celebrata.

A D. IACOBO TRAMONTANA Meſſanenſi Monacho Caſ. Deſcripta.

DIVINVS ille Plato, qui rerum cauſas ſub diuerſis ęnigmatibus, metaphoris, & figuris, mortalibus aperuit; immortales hominum animas igneæ naturæ eſſe, eaſq; inſtar pyramidis ignem ęmulantis à Deo rerum omnium opifice fuiſſe creatas in Timęo teſtari videtur. Quæ quidem animæ non ſecus, ac ſi pyramis baſi, vel ignis fomiti, corporibus adhærent; & quemadmodum à ſummi faſtigij puncto, qui velut flamma ignis, cœlum ſpectat, pyramidis partes per lineas fluunt; haud aliter ab immortalis hominis anima corporis operationes ortum trahunt. Hęc, & alia diuinorum arcana Plato ab AEgyptijs ſe accepiſſe fatetur: Quorum Reges, & Heroes, qui mortales omnes gloria præceſſerunt, vt teſtarentur corpore ſoluto, & corrupto animam ſupereſſe, magnifica eorum ſepulchra, metis, & pyramidibus honorare conſueuerunt, de quibus pleni ſunt hiſtoricorum libri, magna de AEgypti rebus miracula celebrantes. Vetus hęc conſuetudo, vſq; ad Chriſtianorum adoleuit tempora, quam S. Catholica religio in die exequiarum cultui dirigit diuino: quibus pyramidibus, feralibuſq; pompis in defunctorum ſuffragijs Deus Optim. Max. laudetur, & colatur, qui talem extinctis Regibus, vel Ducibus largitus eſt gratiam, vt tantum poſt obitum ſortirentur honorem. ſcriptura dicente. Nimis honorati ſunt amici tui Deus. Pſalm. 138.
In noſtræ deuotiſſimę Ducis funere Caſinēſes S. Sixti de Placentia Mo-

nachi, debitum cupientes animi grati officium, gratis exhibere cineribus, Pyramidem pro baſilicę capacitate erexerunt, cuius altitudo quadraginta eleuabatur cubitis, latitudo verò fundamentalis baſis, ſexdecim, per ſingulos terminabatur angulos; ſtructura trimembris conſultò extitit: Ionica ſilicet, Corinthia, & compoſita. Nam ſicut veteres templorum ædificia pro conditione Numinis conſtruebant, vt ex ipſa ædis ſtructura, numinis qualitas, & virtus intelligeretur; conſentaneum fuerat, vt quæ pluribus floruit virtutibus viuens; pluribus etiã rationibus decoraretur in pyramidis ſtructura poſt obitum.

Prima ergo pyramidis pars, ideſt inferior, quadrifacies Ionico more fabricata, ſenis in qualibet facie, eleuabatur columnis quadratis, & canalatis, quæ cum capitulis, & ſpiris vndecim cubitorum erant altitudine, quarum duo pari interuallo oſtium altitudine cubitorum decem, & latitudine cubitorum quatuor terminabant, ad quod per octo aſcendebatur gradus altitudine cubitorum duorum. Primi gradus, duobus decorabantur paruis pyramidibus altitudine cubitorum octo. Inter columnas, quæ in qualibet facie oſtium terminabant, & angulum qui duobus alijs firmabatur columnis, eiuſdem altitudinis feneſtræ erant latitudine cubitorum duorũ, & altitudine cubitorum quatuor, ſupra quas extinctæ Ducis inſignia cernebantur. columnæ verò quibus anguli firmabantur, ex vna parte virtutes cardinales, & ex altera acceſſorias, virgineo notatas aſpectu hieroglyphiciſq; figuris inſignitas, continebant; quas opere lapideo ſculptas celebris pictura mentiebatur, ſub capitulis earumdem columnarum, quibus (vt diximus) anguli muniebantur ſingula per ſingulos angulos appoſita fuere ſymbola, quarum figuras, inſcriptiones, & interpretationes infra Deo fauente dicemus. In medio fornicis extrinſecus cuiuslibet oſtij CASINENSIS CONGREGATIONIS inſignia pendebant: Mons nempè viridis ſupra cuius iugum, PAX, literis aureis in nigro campo legebatur. Supra ſingula oſtia ſingularum frontium, inter epiſtylium, & coronam, in Zophoro, hæc ſequentia ſcripta fuere diſticha,

In prima fronte introitus ædis,

Hanc gratis placuit Monachis componere tumbam,
Pergrato cineri Carlidis Auſtriacæ.

In ſecunda fronte,

Non

Non tantum Carolis tumulo requieſcit in iſto,
Sunt ei pro æterno corda hominum tumulo.

In tertia fronte.

Hic pietas ingens tumulatur Speſq;, Fideſq;,
Tumba ergo hæc trinas continet vna Deas.

In quarta fronte.

Carolis Auſtriaca hic tumulari iuſſit, vt illis
Quos viuens coluit funere iuncta foret.

Supra columnarum capitula, & coronam, qua inferior pars pyramidis terminabatur, podium fuerat, quadraginta per girum inſignitum columellis, quæ balauſtria vulgo nuncupantur decem in qualibet fronte, quas quinas in partes duo Angeli ſupra vnumquodq; oſtium, inſignia. defunctæ Ducis continentes diuidebant. Ab angulis vero huius podij, exiguæ pyramides eleuabantur altitudine cubitorum octo, in quarum baſi, quæ altitudine erat cubitorum duorum, & latitudine cubiti vnius inſignia etiam altera defunctæ Ducis erant depicta.

Media pars pyramidis Corinthio fuerat opere conſtructa, cuius baſis, & fundamentum erat octangulum, ſicq; inter ſe diuiſi erant anguli, vt qui rectos, ac primos terminabant aſpectus latitudine eſſent cubitorum ſex cum dimidio, qui vero obliquas claudebant frontes latitudine eſſent cubitorum trium. Ab omnibus ijs angulis columnæ aſcendebant rotundæ, & ſtriatæ, altitudine cubitorum decem, quarum capitula ænea, ſcapos vero lapideos pictura fingebat. In recta qualibet facie ſublimium hiſtoriam factorum Sereniſs. Ducis defunctæ claudebant, & in obliqua parte, oſtio, altitudine cubitorum ſeptem, & latitudine cubitorum duorum ornamento erant: per quod egredi poterant, qui munus accendendarum facularum ſuſceperant. Supra cuiuslibet oſtij timpanum, & faſtigium, duo Angeli lapideo picti colore ſedebant, inſignia, & ipſi defunctæ Ducis complectentes. Supra columnarum capitula, magna vndiq; coronix circumibat, qua pars Corinthia terminabatur, altero etiam inſignita podio, quod balauſtrijs etiam erat ſeptum columnellis, octo angulos columnarum inferioris partis comprehendens. In ſingulis quibusq; angulis, ſinguli angeli expanſis alis, manibusq; in ſignum mæroris extenſis, mira ſpectantes deuotione, ac triſtitia afficientes appoſiti erant. Superior, & vltima pars, quæ ſex in altitudinem eleuabatur cubitis parietes referẽs lapideos octangulari erat etiam figura à ſupra dicto

circumſepta podio, in cuius qualibet recta fronte, quæ erat latitudine cubitorum quatuor, hęc ſequentia legebantur verba, à Dauidicis nonnulla verſiculis decerpta. in prima fronte. HAEC REQVIES
Pſalm. 138. MEA IN SECVLVM. in ſecunda. HIC HABITABO QVONIAM ELEGI EAM. in tertia. AD NOVISSIMAM VSQVE TVBAM. in quarta. IN PACE DORMIAM, ET REQVIESCAM. In obliquis vero frontibus, quæ duorum erant cubitorum latitudine feneſtræ erant egreſſum habentes ad memoratum podium, quibus duplex eminebat corona quæ circum omnes angulos tendebat in girum: ſupra coronam pinnaculum altitudine cubitorum quatuor in acumen tendens eleuabatur, lapideo pictum colore ſtriatis, ac ſtriglibus inſignitum lineis: in cuius faſtigio ſtatua eminebat, muliebri inciſa aſpectu, altitudine cubitorum quatuor, quæ ſiniſtra amplexa crucem, dextera coronam, & palmam protendebat hæc pro religione erecta fuerat, quòd crucem ſuſcipientibus victoriæ palmam, & gloriæ ſpondet coronam. In huiuſmodi ſtatuæ baſi, & ſpira, quæ cubiti vnius erat altitudine, illud apocalypſis legeba-
Apoc. cap. 2. tur. VINCENTI DABO.

Explicata vt breuius, faciliusq; potuimus pyramidis ſtructura, reliquum eſt vt partes memoratu nobiliores, quibus pyramis ipſa decorabatur, proſequamur. Iam ſupra retulimus, quod in medio columnarum quibus anguli primæ partis Ionicæ muniebantur, virtutes poſitæ fuerant cardinales in dextero latere, & in ſiniſtro acceſſoriæ: vt puta prudentia connectebatur ſimplicitati, Iuſtitia Clementiæ, Fortitudo Modeſtiæ, Temperantia Liberalitati. Quę omnes virgineo pictæ aſpectu colore lapideo hieroglyphicis erant ornatæ figuris.

In prima fronte, quæ baſilicam introeuntium oculis obiciebatur, prudentia, & ſimplicitas, locum ſibi vendicauerant. Prudentia manu dextera ſerpentem, ſiniſtra vero Mori arboris ramum geſtabat, ſecus pedes cuius, hinc ſtabat Noctua auis, inde fluuius Ganges fluebat. Non ab re diuerſa appoſita fuere hyeroglyphica: nam cũ multiplices vnumquodq; ſortiatur ſignificationes, vnum per aliud, cui communis eſt proprietas, vniuocetur. Serpens n. hieroglyphicum eſt anni vel temporis, renouatæ iuuentutis, prudentiæ, & c. Prudentiæ eſt hieroglyphicum primo, quod cum à venatorũ verbis ſe rumpi animaduertit vtramq; obſtruere perhibetur aurem, alteram humi inhęrendo, alteram vero caudę aculeo.

cuius

cuius prudētiam imitari hortatur nos Dominus in Euangelio dicens. eſto te prudentes ſicut ſerpentes vt per mortis meditationem, quam per caudę aculeū intelligunt Doctores, carniſq; noſtræ imbecillitatis notitiam, quæ per fragilem ſignificatur himum: non ſolum cordis aures lethiferis demonum perſuaſionibus obſtruamus, verum etiam corporis, ne verba nociua aut deceptoria audiamus: quemadmodum ſapiens nos hortatur dicens. ſepi aures tuas ſpinis, & noli audire verba nequam: vel ſicut ſerpens totum corpus ſuum obijcit, vt percutiatur, caput autem ſeruat, ita & Chriſtianus omnia det, etiam corpus ſuum percutientibus, caput vero quod eſt Chriſtus, & fidem in illum ſeruet: vel ſicut ſerpens in cauerna circum agitur, & tranſiens anguſtias vetuſtatem expoliat, ita & nos per anguſtam viam incedamus, quatenus veterem hominem exui valeamus. Matth. cap. x. Prouerb. cap. 14.

Morus arbor cuius ramum prudentia geſtabat, inter ceteras arbores vna omnium prudentiſſima cenſetur, vt potè non vt multæ, properat, quæ vbi primum lenioris aliquantulum aurę ſpirauerit, erumpunt in germina, & flores emittunt magna interdum ſtrage ob temporis inconſtantiam; At morus ne pruina lædi poſſit, quam hoſtem ſibi pernicioſum agnoſcit, non ante germinat, quam frigus penitus fugatum eſſe ſenſerit, & ideo inter prudentiæ hieroglyphica computatur.

Noctua Mineruæ dicata, pediſſequa, & ſymbolum, de qua ipſa Glaucopis appellatur, ſiue ob oculos cæſios, quibus præditi ſunt qui prēſtātioris, & acutioris ſunt ingenij, ſiue propter lucubrandi, contemplandiq; munus, quod vis animi nocturni potiſſimum temporis, ſilentio vegetatur, prudentię, ſapientięue extitit hieroglyphicum. Quare legitur quod cum in haſta Hieronis priuati adhuc hominis in primo bello, quod inijt, inſederit: Aruſpices eum prudentia cautum prędixere futurum, quod ſapientiſſimum eius regimen ſuſcepto Trinacriæ Regni dominio comprobauit.

Gangem fluuium, qui phiſon in ſacris literis dicitur, vnum ex quatuor paradiſi fluminibus, quem Moyſes teſtatur terram circumire Euilath, Indiam ab Ouidio appellatam ibi: Decolor extremo qua cingitur india Gange. prudentiæ hieroglyphicum eſſe conſtat, ſacrarum ſcripturarum teſtimonio. legitur .n. in lib. eccleſiaſtici. Qui implet quaſi phiſon ſapientiam. Trahit hic ramenta auri, carbuculum lapillum, & ſmaragdum; quæ tria munera declarant prudentię. Aurum enim præſentium rerum pretia proponit, carbunculus extincto lumine quid futurum ſit, Geneſ. cap. 2. Metamorp. 4. Cap. 24.

quiduè aduentet, aperit. Smaragdus viriditatem ſignificat, quæ vero virent, viuacitatem habent, & viriditas præteriti ſeminis memoriam recolit.

Gen.cap.2 *Preterea aurum, quod per Gangem labitur, optimum eſſe idem Moyſes refert, idq; pro prudentium ſententijs accipi ſæpè ſolet, vndè eorum ſententię aureę dicuntur.*

Simplicitas virtus, quę & Puritas, ſiniſtro prudentiæ lateri adſiſtebat tribus honora hieroglyphicis. manu dextera lilij germen, ſiniſtra phialam cum thuribulo protendebat, propè cuius veſtigia columba aderat.

Cantic: cap. 4. *Ea eſt lilij proprietas, vt ſimplicibus angelorum ſubſtantijs comparetur. vndè in canticis cęleſtis ſponſa patruelem ſuum inter lilia paſci concinit, ideſt inter Angelorum, beatorumq; ſpirituum, virginumue choreas vt Diuus Hieronymus aduerſus Iouinianum refferre videtur. Item lilijs homines iuſti pro cordis ſimplicitate, ac candore conſcientię aſſimilantur.*

Oſea cap. 14. *Hinc in Oſea habetur, iuſtus germinabit ſicut lilium. cuius germen cum à ſtirpe detentę humi radicis euellitur, naturę ſuæ virtutem licet aruiſſe videatur, occultat, & redeunte vere, lilij ſui honore veſtitur; non ſecus homines iuſti, licet mortis neceſſitate aruiſſe videantur, in nouiſſimo tamen tempore immortalitatis flore veſtientur, quò in eternum in conſpectu Domini florere dicuntur.*

Per phialam, & thuribulum, quibus lęua manus huius virtutis onerabatur, ſimplicia, ignis, & aqua, elementa intelligebantur, quorum naturam indagantes AEgyptij ſacerdotes, pro hieroglyphico ſimplicitatis ponebant. Aqua .n. expiat, ignis verò expurgat, & quæ aqua efficere nequit, ignis exequitur. Hinc veteres mortuorum lotiones, quas ſuffictiones vocabant, ex igne, & aqua conficiebant, quibus defunctorum corpora ſparſa puritatem aſſequi, perſuaſum habebant. non nulli etiam aquę naturam ſcrutantes (vt D. Ambroſius refert) per aquas quę ſuper cęlos ſunt, purgatorias intelligi volunt virtutes. Ignis adeo ſimplicis eſt naturę, vt ſublimiorem cęteris elementorum corporibus locum obtinuerit: Et Deus optimus Max. qui ſimpliciſſimus eſt ſpiritus, in columna ignis Iſraelitico populo poſt AEgyptiacæ ſeruitutis egreſſum apparuit. In monte Synai in igne ad Moyſen deſcendit, qui in igne venire per Eſaiam dixit: vt ab Apoſtolo ad Hebreos loquente ignis comburens appellatur, qui antea ſupra diſcipulos in linguis igneis in die Pentecoſtes reſederat.

Exod. cap. 13. Exod.cap. 19. Eſa. cap. 66. Ad. hebr. cap. 12. Act. cap. 2.

Per

Per columbam omnibus perſpectum eſt ſimplicitatem figurari, ex vulgatiſſima ſaluatoris noſtri ſententia in Euangelio dicentis. Eſtote ſimplices ſicut columbę. quibus, cum felle careant, tanta eſt ſimplicitas, vt licet auferatur ab eis fętus, & perſecutionem patiantur, rurſus ad Dominos ſuos reuertuntur. Quaſi columbam ſpiritum ſanctum S. Ioannes ſupra baptizatum Dominum vidit, quem Euangelij locum declarans Diuus Cyprianus aduerſus Nouatianum ait. In columba venit ſpiritus ſanctus, ſimplex animal, & lętum, non felle amarum, non morſibus ſęuum, nō vnguium laceratione violentum. Columbarum pennis euolare cupiebat propheta cum dixit. Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo, & requireſcam. non aquilæ, non accipitris, non cuiuslibet alius auis pennas concupiuit, ſed columbę. intelligebat vtiq; vir ſanctus, diuino ſpiritu afflatus, per ſimplicitatem, cordisq; mundiciam cælorum regnum, eternamq; requiem ſibi fore petendam. Matth. cap. x. Pſalm. 54.

Vt columbam cæleſtis ſponſus, ſponſam Eccleſiam in qua non eſt macula, in cælum euocat in canticis dicens. veni columba mea, ſpecioſa mea: vt columbam ſanctus patriarcha noſt. Benedictus ſororis Scholaſticę animā in cælum aduolaſſe perſpexit. Hactenus ergo de ſymplicitatis hieroglyphicis dictū ſit. hoc tamen non pretereundum duximus. quod Saluatoris noſtri teſtimonio, vt ſupra dictum, eſt ſimplicitatem prudentiæ iunximus. prudentia .n. debet eſſe ſimplex non verſipellis, & vulpina. Callidi namq; prouocant iram Dei, & vir verſutus odioſus eſt, in prouerbijs legitur. ſimplicitas autem non ſit rudis, & indocta: vnde ſalamon ait; ſimplicitas prudentium diriget eos, & iuſtitiam ſimplicis dirigit viam eius. Prou. cap. II. Prou. 3.

Pyramidis angulos aduerſę frontis, quæ ſanctuario, & altari erat inſpecta, Iuſtitia, & Clementia complebant. Iuſtitia tribus, Clementia verò duobus erat inſignita hieroglyphicis. pro iuſtitia Aſtrea Iouis, & Themidis filia poſita fuerat, quam poetę fabulantur aurei ſeculi tempore in terra deſcenſam hominum inde vitijs creſcentibus, cęlos indignatam repetiſſe, ſedemq; in zodiaco inter libram, & leonem occupaſſe, de qua Seneca in octau.

Neglecta terras fugit mores feros
Hominum, & cruenta cęde pollutas manus,
Aſtrea virgo ſyderum magnum decus.

Quare in orbe ſignifero ſedentem, cui à dextris erat libra, & à ſiniſtris leo,

conſcri-

conſcribendam curauimus. porrò manu dextera palmæ ramum deferebat, & ſub pedibus hirundo Auis ex vna parte aduolabat, & ex alia fluuius Euphrates fluebat. Palmam manu Aſtrea protenderat; cum celebris illa arbor propter ſuas eximias proprietates verè hieroglyphicũ ſit Iuſtitiæ. Palma enim cum folijs fructum pari æquilibrio reddit, cuius folia inter ſe ſunt æqualia, licet loco vnum altero ſit eminentius; preterea incorrupta eſt palmę materies, & propemodum ſenij neſcia, ponderibuſq; reſiſtit, & in aduerſum incuruatur. Cuius ad inſtar Iuſtitię admi niſtratores incorruptos eſſe oportet, qui non auri, vel cuiuſcumq; muneris pondere, aut violentia flecti debent. Palmarum ſurculos (quas ſpathalas à gladij ſimilitudine Græci vocant) in celebrandis ſeptimi menſis ferijs ſumendos Dominus in Leuitico precipiebat, per quos renouatę Iuſtitiæ germina Doctores interpretantur. Dauid, Iuſtus inquit, vt palma florebit; Flos .n. palmæ nunquã decidit ſed in dulciſſimum fructum prouenit, cuiuſq; germen non tabeſcit, ſed ſemper viget; preterea in palma nil ſine virtute reperitur, quod hominum vſibus non ſit accõmodatum, & hominibus iuſtis nil eſt, quod proximorum neceſſitatibus non ſit ſalutiferum.

Leuit. cap. 23.

Pſalm. 91.

Ea eſt Hirundinis auis proprietas, quæ propè Iuſtitię ſimulacrum euolabat, vt pullos ſuos mira paſcat ęqualitate, ſingulis cibum parem impertiens, adeo vt qui ſemel acceperit, bis non accipiat. Quamobrem AEgyptij ſacerdotes pro iuſtitię ſymbolo, ęquitatiſue parentum in filios habebant hirũdinem, vt Orus Apollo de ſacris AEgyptiorũ litteris retulit.

Gen. cap. 2 Euphrates fluuius, quẽ ex paradiſo quartũ influere Moyſes aſſerit; Meſopotamiam irrigat, Babiloniam diuidit, & in mare labitur rubrum; adeo lętum, fęcundumq; per quem effluit, agrum reddit, vt ſequenti anno eius reſtibilis fiat ſeges, vt Plinius tradit libr. 18. cap. 16. quare per Euphratem fœcunditas, fruguumq; copia intelligitur. Cum autem ex nulla virtute lętiores, opimioreſq; fructus, quam ex Iuſtitia colligantur, iure inter Iuſtitiæ ſymbola, Euphrates à Pierio Bellunenſi ętatis noſtrę authore probatiſſimo annumeratur. Hinc Ceres, quæ, & Aſtrea, vel Tellus, poetis legiſera, Iuſtiſſima appellatur.

Clementia vt dictum eſt duobus honorabatur hieroglyphicis, fructiferę oleę ramuſculo, quem manu dextera ferebat, & Accipitre. Oleam clemẽtię hieroglyphicum eſſe, tum ex veterum traditione, tum ex ſacris litteris habetur. veteres Iouem oleę frondibus coronari dixerunt, in ſignum

clementię

clementię, quam Reges, Duces, cęteriq; mundi rectores, debent ſupra iuditium exaltare. Hinc ramus oleę (vt Probus in Pauſania ait) manibus legatorum ſupplicantium, in ſpem impetrandę clementię deferri ſolebat. & Virgilius morem hunc tetigiſſe videtur cum dixit.

Optime Graiugenum cui me fortuna precari,
Et victa comptos voluit protendere ramos.

In diuinis quoq; eloquijs ab ipſo mundi primordio olea clariſſimum clementiæ, ſignum extitit. Cum Deus aquis diluuij demerſerit impios, & recordaretur Noe, columbam ramuſculum oleę geſtantem in arcam remeare cõpulit, in ſignũ ſedatę irę pacis, & clementię. pluribus etiã in locis ſcriptura ſacra per oleam, clementiam intelligit, virumue clementem miſericordiæ fructibus refertum; vndè Dauid: Ego autem ſicut olea fructiſera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum. poterat equidẽ vir pius in Dei miſericordia ſperare, qui clementiam, & miſericordiam in proximos ſemper exercuit: quare oleę aſſimilabatur. Genes: cap. 8. Pſalmi 51.

Accipiter, quem propè clementiæ ſimulacrum extitiſſe diximus, inter illuſtres eius proprietates vna omnium celeberrima viget, per quam clementiæ eſt etiam ſymbolum; vt Olius magnus hiſtoricus fidiſſimus retulit. quandoquidem hyemali tempore aues in veſpertina venatione captas, quas ad vim ferendam algoris, ſub alas noctu continere ſolet, mane ſacto incolumes abire permittit: celebre clementię, gratiq; animi ſignum, vnde illud puto apud Italos in prouerbio eſt, Gentil com, vn falcone. Non ab re etiam hic erit enarrare, quod Euſebius à Zoroaſtro Britannorum rege vetuſtiſſimo traditum fuiſſe refert. Deum nempe qui Pater eſt miſericordiarum, & totius conſolationis, accipitris habere caput. Quam plurima etiam poſſunt adduci teſtimonia, quæ ne tędio ſimus lectoribus conſultò relinquimus. Nec temerè iuſtitiam clementiæ, quam miſericordiam ſacræ literę vocant, conneximus; quotieſcumq; enim iuſtitiam legimus, etiã miſericordię reminiſcimur. Propheta, miſericordiam, inquit, & iudicium cantabo tibi Domine. & alibi: miſericordia, et ueritas obuiauerunt ſibi. Et Micheas. indicabo tibi homo quid Dominus requirat à te, ſacere miſericordiã, & iudicium. & Deus cum iuſtus dicitur ſæpè miſericors appellatur. Hinc etiam Dauid, miſericors inquit Dominus, et iuſtus: & iterum ad Dominum loquens ait, iratus es, & miſertus, & nobis. Et Abacuc. cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Gentes, etſi Iouẽ fulmine terribilem, olea tamen coronatum finxere clementem. Pſalm. 100. Pſalm. 84. Micheas 6. Pſalm. 114. Pſalm. 59. Abac. c. 3.

In tertia pyramidis fronte Fortitudo, & Modeſtia cernebantur. Fortitudo militari amicta chlamyde, Quercus arboris ramũ ſuſtinẽs, media inter leonem, et Tigrim fluuium adſtabat. Quercum arborem, quę roboris elogio cenſetur fortitudinis ſymbolum eſſe, tum gentium monumenta, tum etiam ſacri codices affirmant. Gentes Herculi clauam aliquando ex oleaſtro, aliquando verò ex quercu contulerunt. vt in diuerſis, quæ adhuc extant Herculis ſignis, eſt videre. Amos Propheta. fortis ipſe quaſi quercus, dixit. & Daniel, in robore fortitudinis meæ, protulit.

Amos. c. 2.
Daniel. c. 4.

Leonem beſtiarum fortiſſimum qui ad nullius pauet occurſum Salomon in ꝓuerbijs vocat. Dauid Ionathan, et Saulẽ leonibus fortiores planxit. Herculẽ leonina pelle, amictũ ſcripſere ueteres, pro fortitudinis hieroglyphico leonem habentes: de quo Lucretius; Quo genere in primis vis eſt violenta leonum. & Ouid. Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni.

Proue. c. 30.

Gen. c. 2. *Tigris fluuius, qui tertius, ex paradiſo labitur, & contra Aſſyrios vadit, libri geneſis authoritate, fluuiorum omnium velociſſimus: & vt Pierio placet, dictus eſt Tigris, à ſagitta quam Tigrim Armeni vocant, vel certe ab animali omnium rapaciſſimo. Tigris fluuius nullis poteſt aggeribus, molibus, vel obicibus impediri, quin eò victor prorumpat, quo ſe ferri deſtinarit. quare inter fortitudinis hieroglyphica cenſetur.*

Modeſtia, quæ ex aduerſo Fortitudinis latere poſita fuerat, fixo in terram obtutu, veſtimento ſuffibulo prętexto, & quadrato cooperta, librumq; manibus retinens, ouis erat ſocietate coniuncta. ſuffibulum veſtimentũ illud dicebatur, quo veſtales virgines in ſectandæ Modeſtiæ ſignum vtebantur, & ſub mento fibula alligare ſolebant, vt Pompeius Feſtus de verborum ſignificatione tradidit.

Librum manibus complectebatur, quia librum ſapientiæ eſt ſymbolum, cum vero finis Modeſtiæ ſit timor Domini vt in prouerbijs habetur, & apud Iob. timor Domini ipſa eſt ſapientia quemadmodum, & Pſalmographus. initium ſapientię timor Domini. ſequitur quod idem ſit ſymbolum ſapientiæ, & modeſtiæ: ritè ergo librum hieroglyphicum ſapientiæ, manibus modeſtiæ deferendum fuit.

Prouerb. 22.
Iob. c. 28.
Pſalm. 110.

Manſuetudinis etiam ſigno ſilicet oue, modeſtiam honeſtandam permiſimus, quandoquidem manſuetudinis ſæpè vicem gerit. Vnde Clau. 8. Pan. Seruat in offenſam diuina Modeſtia vocem. Et Eſaias: Ouem coram tondentem os non aperire protulit, cum de noſtri Saluatoris manſuetudine, & modeſtia vaticinaretur. Nulli mirum videri debet, ſi Modeſtiam For

Eſaias. ca. 53.

titudini

titudini adiunximus. Nã ſupra Salomonis teſtimonio dictum fuit finem Modeſtię Domini eſſe timorem, qui modo ſapientia, modo ſapientiæ vocabatur initium, & Iacobus Apoſtolus. ſapientia quę de ſurſum modeſta ſuadibilis. Porrò ſapiens ſępè fortis dicitur. ſapiens, inquit Iob, corde eſt fortis. & Salomon. vir ſapiens fortis eſt. pręterea Chriſtus Dei ſapiẽtia, & vincens leo de tribu Iuda, & Agnus manſuetus nuncupatur: de quo Propheta ait. Deus noſter fortis & patiens. Iacob. c. 3 Iob. c. 9. Prouer. 24. Apoc. c. 2 Pſalm, 7.

Temperantia & Liberalitas quartæ frontis clauem in pyramide occupauerant. Temperantia inter taurum caprifici folijs colla redimitum, & Nilum fluuium, ſalicis rarum manu geſtabat.

Cum ſalictis materia plurimum ſit apta vinculis, & Temperantia, ſit cupiditatum coertio, & ſecundum Ciceronem de Iuuen. ſit rationis in libidinẽ, & in alios non rectos impetus animi firma dominatio. rectè per vinculi materiam temperantia intelligitur. profecto animi, non rectos impetus, carniſue petulantiam vinculo coercere iubemur à Domino qui ait: ſint lumbi veſtri pręcincti. Quem Euangelij locum S. Gregorius exponens dixit. Tunc lumbos præcingimus, cum carnis laſciuiam per continentiam coarctamus. Hebreis paſchalẽ agnum comeſturis, in ſignum temperantiæ ſuccinctos habere renes, lege cautum fuit. Licet ſalix ægyptium non ſit hieroglyphicum, pluribus tamen pro temperantiæ ſymbolo habere viſũ eſt. Hoc & Origines in homelia nona ſuper Exodum, intelligere videtur Cum à Domino decretum fuit. Iſraeliticum populum in ſolennitate tabernaculorum ſalices de torrente ſumere & coram Domino lætari. Luc. cap. 12. Leuit. cap. 23.

Tanta eſt caprifici arboris ad coercendam Taurorum luxuriam virtus, vt collo tauri quamtumlicet laſciuientis eius folia alligata, eum temperantẽ redditũ ferocire minime permittant. quamobrem temperantię hieroglyphicum AEgyptijs fuit huiuſmodi figura.

Nilus fluuius, qui & Gyon, ſecundus eſt eorum, qui ex paradiſo oriuntur, & terram circuit AEthiopię libri Geneſis teſtimonio, Inter tẽperantię hieroglyphica cenſetur, quod calidiſſimarum regionum per quas profluit ardorem temperet, & AEgyptiacam terram pluuijs omnibus deſtitutã circa æſtiuum ſolſtitium aquis ſuis irrigat, fæcundiſſimoq; limo, (vt Luc. lib. x. refert) vberrimam reddit.

Liberalitas manum dexteram remiſſam proferens, & ſiniſtra cornu copiæ ſuſtinens, Elephantum iuxtà habebat ſocium. Dextera manus remiſſa liberalitatis ſemper fuit ſignum: quia cum ad capiendum ſit prompta, et

expeditiſſima ſic ad largiendum, eſt vſitatiſſima. Hinc Saluator dicebat: cum facis elemoſinam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Eſt etiã frequentiſſimo latinitatis more dictum, manus remittere pro liberaliter elargiri. Ita Octauianus Aug. ad Tiberium ſcribens: manus inquit, ſi quas remiſi, cuiquã exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuiq; donaui.

Matth. c. 5.

Cornu Acheloi, in tauri formam mutati, vt Poetę fabulantur ab Hercule ſuperati, quod Naiades nymphæ, floribus, fructibusq; completum, Copiæ, Fortunæ ſorori conſecrauerunt; licet opulentiæ, & diuitiarum ſit ſymbolum, pro liberalitatis etiam ſigno veteres tenuerunt, vt in numo Antonini Pij fas eſt videre, in quo, ſimulachro cornucopiæ protendenti inſcriptio eſt LIBERALITAS.

Elephantus inſuper in antiquis Romanorum Imp. numis ſignum extitit munificentiæ, & liberalitatis: idq; in numis tum Antonini Pij, tum Septimij Imp. VIII. cognoſcitur. Nam Elephantus impreſſus cernitur, cuius inſcriptio eſt. Munificentia. Elephanto munificentiam hac de re veteres abſcripſiſſe arbitror, quod liberale ac munificentiſſimum in ſuos curatores eſt animal; vt AElianus teſtatur. Cum vero Romani Imperatores inter regias virtutes, quæ populorum beneuolentiam conciliarent, liberalitatẽ haberent, hac oſtentãda, modò cornucopiæ, modò Elephanti, hieroglyphicis vſi ſunt.

Temperantiam liberalitati copulauimus, diuerſis Sanctorum ſententijs, & auctoritate ſuffulti; quandoquidem S. Ioannes Chriſoſtomus Doctor egregius, in homelia LXXIII. ſuper XXIII. Matthei caput. in optimo Principe hæc requiruntur, inquit, vt ſibi ſit arctus, et temperatus, ſeuerumq; in ſe iudicem exhibeat: erga ſubditos verò ſit liberalior, & ad dandam veniam ſit pronior. item Caſſianus, hęc fuit ſemper, ait, ſanctorum conſuetudo, vt ſibi ipſis ſemper aſperi, minuſq; extiterint indulgentes, cęteris vero miſericordes, & munifices.

Iam ſupra retulimus quod ſub capitulis columnarum, quibus pyramidis anguli inferioris partis Ionicæ muniebantur ſingula per ſingulos angulos appoſita fuere Symbola, quorum figuras, inſcriptiones, & earum interpretationes, expoſitis iam hieroglyphicis ſubdemus.

Pr. Symb. Grus lapillum vnguibus retinens, ac ſupra procelloſi maris vndas volatum arripiens, erat primi Symboli figura, ſeu corpus, cuius inſcriptio vel anima (figurã .n. corpus, inſcriptionẽ vero animã, modernis appellare viſum eſt) illud erat Virgilianum. SIC SE PER INANIA

LIBRANS

LIBRANS. Grus auis prudentiſſima ſi ſupra æquoris vndas in tranſmarinas regiones ad cibaria ſibi acquirenda euolare compellitur, nè ad inſtar nauis, quam agitant vndæ, fluctuare contingat, antequàm volatuiſe credat, imbecillitatis ſuæ conſcia, lapillum vnguibus vel roſtro ſuſceptũ firmiter retinet, quo uacillaturi uolatus ueluti firmamẽto utitur, & ſic tale moderatæ grauitatis æquilibrium cuſtodem ſuæ ſalutis per aeris inania habet. Haud aliter Sereniſſ. Margarita ſuprà procelloſas huius ſeculi vndas, per inanes mundi ſollicitudines, ad immortales cœlorum regiones volatum aggreſſa, lapidem illum firmiter retinuit, quem David ab ædificantibus reprobatum fuiſſe concinit. Pſal. 117.

Ciconia ramuſculũ platani roſtro geſtans erat ſecundi Symboli figura, & inſcriptio. ALTI DEFENSIO NIDI. Ciconia clemens auis ac prudens eminentiſſimis in ſcopulis, arboribuſue, aut ędificiorum apicibus nidi domicilium conſtruere manifeſtum eſt, quod ob Noctuarum in oua, aut pullos iniuriam, altiſſimo conſilio platani folijs eò aduectis circumſepit. Quare teterrimi auis in filios incurſionem non timet. Ea.n. eſt platani folij virtus, vt obſeruauit Aelianus, quod ſi id Noctua tetigerit ſtatim ab eo faſcinata diſcedat. Huic prudentiſſimæ aui, etiam ſimilima extitit Sereniſs. Margarita, quę cum in celſum Farneſiæ Gentis domicilium nidificatura aduolaſſet, id virtutum ſuarum, imperatorijq; ſanguinis ſepit memoria, quæ per foliorum platani poteſt intelligi. Quare filios qui hoſtium incurſionẽ paruipenderent feliciſſimo genuit connubio. Secundũ Symb.

Concha in cœlum ſerenum oſcitans, margaritaſq; retinens tertij Symboli fuit figura, et inſcriptio. COELO PERFECTA SERENO. Concha margaritarum mater vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, ſupra maris vndas aſcendens vel ſecundum alios (cum ſcopulis adhæreant) maris declinium expectans, in cęlum oſcitans, & ſuperni roris conceptu grauida, margaritas gignit, quæ dum à concha matre detinentur in perfectionem tendunt, molles etiam ſub aquis eſſe a probatiſſimis perhibetur authoribus. Cum vero cœli clementia perfectionem fuerint adeptæ, à concha euelluntur, & extra aquas duritiem aſſequuntur. Non impar noſtra Sereniſs. Margarita, alto Imperatorij ſeminis rore progenita, nunc a mortalis concha corporis euulſa, cęleſtis regni ſerenitate perfecta, extra huius fluctuoſum mundi pelagus, immortalitatis duritatem, meritis præeuntibus aſſequuta eſt. 3. Symb.

Anguis inter ſaxa ſenecta exutus quarti Symboli extitit figura, & pro in- 4. Symb.

ſcriptione

ſcriptione Prophetæ verſiculus ille . REFLORVIT CARO MEA. *Anguis cum ſenectam verno tempore deponere maluerit vt renouetur, per petrarum anguſtias membranam illam exuit, quam ſenectam Ariſtoteles, et Tibullus vetuſtatem appellat, cum ait; Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas: & cute altera ſubnaſcente renouatur. Anguis ad inſtar Sereniſs. Margarita mortis ſuæ tempore per petram illam (vt pie ſperatur) tranſijt, quę dixit. per me ſi quis introierit ſaluabitur. & alibi. tranſite ad me me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. per hanc petram ſe tranſiturum ſperabat Propheta in locum tabernaculi admirabilis, vſq; ad domum Dei, per quam ſi quis tranſierit, renouabitur corpus mortalitatis ſuæ, configuratum corporę claritatis eius, per quam florebit in euum.*

Lib. 8. de nã animalium. Ioannes cap. x. Ecclesiaſt. cap. 24. Pſalm. 41. Ad Philip. 3.

Quintum Symb. *Oleæ truncus à quo duo germinabant ramuſculi erat quinti Symboli figura, & inſcriptio.* NOVIS ADOLEVIT FRONDIBVS. *Omnibus compertum eſt; Oleam præciſam in nouos adolere ramuſculos, quos nouellos vocamus, quia ſtipitis ſuæ vegetationem renouant. Non ſecus ac ſi olea fructifera Sereniſs. Margarita, cuius licet communi mortis fato, præciſa vita fuerit, felices ab ea aſcenderunt ramuſculi, qui tantę ſtipitis gloriam renouabunt.*

Sextum Symb. *Sedum, vel ſemperuiuum herbam in vaſe contentam pro ſexto Symbolo poſuimus, cuius inſcriptio fuerat.* DVRANDO SECVLA VINCET. *Semperuiuum herba cunctis notiſſima, quę in antiquis ędificiorum parietibus, vel domorum tegulis naſci ſolet, à quibus ſi in figulina vaſa tranſplantatur, ne nimio ſolis ardore aut ventorum aſperitate lędatur, humidum ac viride ſemper reſeruat, vndè ſemperuiuum dicitur. de qua Theophraſtus lib. vij. Non ſedo herbę diſſimilis Sereniſs. Margarita ab huius mundi cupiditatum ardoribus, ventoſiſq; illecebris, auulſa, in vaſa gloriæ tranſuecta, & plantata in Domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri, immarceſſibilis vitæ viriditatem cunctis duraturam temporibus reſeruabit.*

Septimum Symb. *Palma cuiuſdam molis pondere ſubacta, erat ſeptimi Symboli figura, & inſcriptio* SVBACTA MOLE RESVRGET. *Inter celebres palma proprietates vna cęteris nobiliore viget, quod impoſitis molibus reſiſtat, & in aduerſum nititur. quibus ſublatis, ad priſtinam eminentior facta reuertitur altitudinem. Cùm palmæ proprietates iuſtis ſint communes hominibus, vt ſcriptura pluribus teſtatur in locis, Sereniſs.*

Margaritæ,

Margaritæ, Iuſtitiæ fructibus, noſtræ ætatis nulli ſecundę, ſunt etiam cōparandę; quę etſi mortis onere ſub acta fuerit, in nouiſſimo tamen die, cum Dominus excuſſis mortis oneribus, ſicut per Ezechiel pollicetur, tumulos aperiet, ſpecioſior facta reſurget.

Platanus ſecus decurſus aquarum octauum figurabat symbolum adiunctis pro inſcriptione Pſalmographi verbis. ET FOLIVM EIVS NON DEFLVET. Platanus ad ampliſſimam ramorum altitudinem adſurgit, fontes & fluuios, mirum in modum amat, cuius folia omni tempore virentia, noctuas, & veſpertiliones, cęteraq; nocturnarum auium portenta, mira à ſe eliminant virtute, vt ſupra dictum eſt in ſecundo ſymbolo. Platano aſſimilari poteſt Sereniſs. Margarita, quæ cum fluenta eloquiorum Dei ſemper dilexerit, ad illius viui fontis radices miſit, qui dixit: Qui ſitit veniat ad me & bibat. Quamobrem ſicut vi rentium omni tempore coronam virtutum, quibus demonum fugauit inſidias, nō amiſit, ita à pectoribus hominū foliorū eius memor. nō defluet. Octauum Symb.

Expoſitis iam ſymbolis, eorumq: interpretationibus, ſupereſt feralis proceſſionis ordinem, ceremonias, templi apparatus, epigrammata, quibus baſilicæ parietes vndiq; ſcatebant, & orationem deniq; adiungamus funebrem. Cū dies exequiarum adeſſet, quando grati cineres in noſtra S. Sixti æde quieturi, Ortona Placentiam delati fuerunt, R. D. Iulianus Placentinus S. Sixti cęnobij Abbas meritiſſimus, quò congruis honoribus exequiarum ſolennia celebrarentur, ac pontificali pompa cineres ipſi ad prælectum veherentur tumulum, quinq; ex vicinis vrbibus locisq; cęnobiorum conuocauit Abbates, R. D. Iulium Veronenſem Abbatem S. Saluatoris propè Papiam, R. D. Columbanum Placentinum Abbatem S. Petri in Glaſſiatte Mediolani. R. D. Chriſoſtomum Brixienſem Abbātem S. Columbani Bobienſis. R. D. Syrum Papienſem Abbatē S. Proſperi Regienſis. R. D. Fulgentium Placentinum Abbatem S. Mariæ Gratiarum propè caſtrum nouum Tercenſem: Cum ijs Monachi Sacerdotes Muſicę artis non ignari numero quinquaginta ſeptem conuenerant, inter quos D. Maurus Panormita Siculus artis muſices moderator diſertiſſimus pręcellebat, qui Pſalmos, verſiculos, letanias, reſponſoria, & cętera, quæ pro defunctorum ſuffragijs decantari in Eccleſia ſolent, grauibus, ac meſtis notauit concinenda modis. His adiuncti Sancti Sixti Monachi centenarium ſupra duodecim numerum complebant: Qui in die depoſitionis ferales tenentes faces, bini, vt moris eſt,

in longum

in longum extendebantur ordinẽ duplici ſeptum muſices choro,pſalmos, & reſponſoria perſonante, grauibus, & mçſtis notata modulis, quibus mira audientiũ aures deuotione, ac triſtitia afficiebantur; hoc ordine in die depoſitionis, quç fuit quarto Calendas Iunij, gratis cineribus vſq; ad vrbis portam S. Lazari appellatam, obuiam exiere. Hinc vnà cum vniuerſo clero faces ſimiliter geſtante, per nobiliores ciuitatis vicos,prçceſſerant feretrum pyramidali quadam forma fabricatum, nigris,ac ſericis coopertum pallijs, crucibusq; aureis,per quatuor facies diſtinctum, funebrem arcam aurea etiam cruce deſuper inſignitam continens,quod à nõnullis vrbis primatibus ad tale munus ſubeũdum electis, efferebatur. Poſt feretrum Illuſtriſſimus, & Eccellentiſſimus Princeps Rannutius, Vrbis Rectores,Primates,Municipes,Feudatarij, & vniuerſa Sereniſs. Ducis Octauij tunc ægrotantis familia,nigris,ac longis omnes amicti pallijs,feraleſq; protendentes faces ſequebantur, quòuſq; ad S. Sixti ædem peruentum eſt; antè cuius fores quæ cimiterio clauſtro circum ſepto erãt inſpectę,ſex memorati Abbates expectabant, qui inſulis pontificalibus induti,& terni in partes diuiſi feretrum quod iam fuerat allatum, in paratum pyramidis locum, intra baſilicam comitati ſunt; cuius columnæ, & parietes interiores, quadringentis quadraginta cubitis ambientes, à ſummo ad imum nigris fuerant operti pannis,quibus defunctæ Ducis inſignia,in modum crucis compoſita, pari fuerant interuallo collocata:ſubtus verò ſequentia epigrammata, & ipſa etiam æquali interſtitio per totum templi ambitum appoſita. Quorum omnium tria græco idiomate compoſita à Vn. Patre D. Proſpero Martinengio Brixienſi Monacho Caſinate grçcarum literarum noſtrę ætatis facile Principe, celeberrima erant. Vbi autem pontificali pompa funebris arca intra paratum pyramidis locum delata eſt: veſpertina mortuorum ſuffragia à centum viginti monachis meſta fuerant modulatione inchoata,ex quibus quadraginta cantores,qui munus concinendi antiphonas, & reſponſoria figuratis (vt aiunt) notata modulis, ſuſceperant,officium ſuum laudabiliter compleuerunt. Tandem à memoratis Abbatibus pontificali ritu omnia fuere completa. Poſtridiè manè ſupra ſingula baſilicæ altaria,ſacroſancta Corporis Chriſti ſacrificia pro defunctæ Ducis anima quouſq; exequiarum complerentur ſolennia,ſunt celebrata. Pyramis tercentum honora facibus horrorem pariter, & deuotionem intuentium oculis inijciebat, quibus facibus à principio vſq; ad finem arſerat miſſę maioris, quæ à R. D. Iu-

liano

liano Abbate ſolenniter, & deuotiſſimè celebrata eſt. Cui Illuſtriſſimus & Eccell. Princeps Rannutius, Vrbis Rectores, Primates, Municipes, Feudatarij, cęteriq; Magiſtratus, ac Nobiles in locis ſibi debitis reſidentes interfuerunt. Expeditis miſſarum ſolennibus orationem funebrem coram omnibus habuimus, quã poſt diuerſa epigrammata adiecimus. in quibus omnibus ſi quid à nobis ineptè prolatum eſt ingenioli noſtri imbecillitatem criminemur; ſi verò aliquid boni reperitur; id Deo Optimo Maximo gratiarum omnium munificentiſſimo tribuamus, qui viuit, & regnat in ſecula. Amen.

DIVERSA D. IACOBI TRAMONTANAE *Meſſanenſis Monachi Caſ. Epigrammata intra ædem S. Sixti de Plac. in Funere Sereniſs. Margaritę Auſtriacæ Affixa.*

ERGO iaces Carolis? tu quæ releuare iacentes
Conſilio poteras, ac pietatis ope.
Ergo iaces Carolis? iacet ergo gloria ſecli,
Et iacet Auſtriaci ſanguinis altus honor.
Ergo iaces Carolis? iacet ergo regula matrum,
Et Triuia à ſummo culmine noſtra iacet.

ALIVD.

Margarita obijt? ſuperis nec Parca pepercit?
Nec puduit tantæ rumpere fila Ducis?
Atropos immanis lachrymis tu paſceris vna,
Nec potes aut dono flectier, aut precibus.
Quid quereris? non iuſta tuis eſt cauſa querelis, Reſp.
Rumpuntur noſtro fila retorta colo.
Sat miſero producta Ducis ſunt ſtamina mundo
Cui licuit citius tecta ſubire poli.

C *Aliud.*

ALIVD.

Hic iacet exanimis regalibus edita cunis
Margarita, Domus Auſtria quam genuit.
Quam ſexus, egreſſa modum fuerit pia, norunt
Belgæ, Samnites, hoc Triuienſe ſolum.
Mirus amor: viuens ſancto quos fouit amore.
Mortale ijs moriens credidit illa ſuum.

EIVSDEM TETRASTICHON.

Non quales niueas Erithræo in littore conchæ
Produxit gemmas rore refecta poli:
Sed qualem Oceani Dominator Carolus ampli
Produxit mundo, continet iſte rogus.

ALIVD.

Num fato cedens deceſſit mortua? in aſtra
Margarita abijt, ſydereoſq; choros.
Occulit à noſtris radiantia lumina terris,
Inter & æternas tranſtulit alma faces.

ALIVD.

Huic Charites tumulo violas, Cyllenia proles
Narciſſos, ſanctus lilia ſpargat Amor.
Nos miſeri gemitus triſtes, ſuſpiria, fontem
Aſſiduo riguis qui fluit imbre genis.

ALIVD.

Si meritis eſſent humanæ tempora vitæ
Non numeranda die, quæ peritura fluit;
Margarita quidem ſuperaſſet Neſtoris annos,
Ac poterat nullo tempore Diua mori.

ALIVD.

Deſere Mercator per tot diſcrimina vaſti
Oceani gemmas quærere iam niueas,
Felicem ad tumulum propera, qui ditior Indis
Et gemmas alias, & noua thura tenet.

ALIVD.

Auſtria dum vixit Carolis rectumq;, piumq;
Vixit, & intactæ relligionis amor.
Aſt vbi communi conceſſit mortua fato,
Mortua poſt illam cuncta fuere ſimul.

Aliud.

ALIVD.

Si tituli inſignes, rerum prudentia, ſeruens
Relligio, pietas, ſtemmata, forma, & opes,
Claudere mortis iter potuiſſent, Carolis vnquam
Extremum haud poterat claudere ſola diem.

ALIVD.

Margarita ſuo candore, & pondere, & orbe,
Cum æquaſſet gemmas ſplendida ſydereas,
Altiſoni tandem fieret diadema Tonantis,
E concha pelagi regna beata ſubit.

ALIVD.

Regum pyramides, & Memphis barbara cedant,
Cedat Mauſoli tumba ſuperba Ducis:
Nam ſatis huic Diuæ non noſtri pompa ſepulchri eſt
Aſt hominum viuens pectora ſunt tumulus.

ALIVD.

Pulchra pudicitiæ ſpeculum, lumenq; decusq;,
Margarita obitum claruit ante ſuum.
Pulchrior hac poſito mortali corpore tumba,
Tecta petit ſuperûm, clarior atq; nitet.

ALIVD.

Quod Diuæ fuerat mortale hac conditur vrna,
Quam Charites manibus compoſuere ſuis.
Spiritus at ſuperum fruitur nitidiſſimus aſtris,
Et ſama haud rapidi temporis ora timet.

ALIVD.

Credite mi Halcyones, quæ circum plangitis vndas:
Credite populeæ vos Phaetontiades:
Carlidis Auſtriacæ, queis flemus funera Diuæ,
Maioris cauſam vimq; doloris habēt.

ALIVD.

Hoc, vbi ſarcophagum ſibi Carolis Auſtria legit,
Gratior in toto non fuit orbe locus.
Illius hac igitur cineres ſub mole quieſcunt,
Spiritus at rediit venerat vnde prius.

Επιτάφιον μαργαρίτης αὐστριακῆς, καὶ φαρνησίας

Τίτου προσπέρου μαρτινέγγου μοναχοῦ κασινάτου.

Μαργαρίτη κεῖται τῇδ' αὐστριὰς ἡγεμόνεια,
Τὴν ἐφύτευσε μέγας κάρολος αὐτοκράτωρ.
Ἣ πάσας ἀρεταῖς βροτεάς νίκησε γυναῖκας,
ὥσπερ ἀριστείαις τῆσδε πατὴρ ἀνέρας.
Ὀλβίστη γενεὴ φαρνησία, θηλυτεράων,
Ἣ λάχε τον κόσμον, καὶ κλέος ἀΐδιον.

εἰς αὐτήν.

Ἡ πολυτίμητος νῦν μαργαρὶς ἐξαναδῦσα,
κόγχης εἰς λίθακας σπεῦσεν ἐπουρανίους,
ὥσκεν ἀπαστράψῃ μίγδ' ἄλλοις, οἳ προλιπόντες,
Τοῦτο πολυφλοίσβου λαῖτμα σάλου κρυόεν.
Φημὶ δὲ τον κόσμον, καὶ σκῆνος τουτ' ἐγένοντο
Ἐσσῆνος θ' ὅρμος, καὶ σέφος οὐρανιδῶν.

εἰς αὐτήν.

Οὐ μόνον εὐάνωρ ἡρωΐδας ἑλλὰς ἀγαυάς,
Οὐ δ' αὖτ' αὐσονίης εὐγερὲς οὖδας ἔχει,
Ἀλλὰ καὶ ἀλλοδαποῖσι μέτ' ἀνδράσι ταίγε φύονται
Ἧσσονες οὐδ' ἄλλων, οὐδὲ χερειότεραι.
Μαργαρίτη μάρτυς τοῦδ' αὐστριὰς ἀντιάνειρα,
Ἣ μηδὲν προτέραις ἔικαθεν ἠνορέῃ.

Hic eſſent etiam adijcienda tria epitaphia hebraico idiomate à D. Iacobo Saſſignano Plac. Monacho Caſinate compoſita, quæ cùm ob defectum hebraicorum characterũ imprimi nõ poſsint, omiſſa ſunt.

IN FVNERE SERENISSIMAE MARGARITÆ AVSTRIACAE FARNESIAE

D. JACOBI TRAMONTANÆ Meſſanenſis Monachi Caſinenſis.

ORATIO AD POPVLVM Placentinum ab eodem habita.

CECIDIT corona capitis noſtri, verſus eſt in triſtitiam chorus noſter, occidit ſydus noſtrum, quo ſupra omnes gloriabamur gentes; cuius fulgoris aſpectu baſilicæ huius parietes olim radiabāt, decorabātur pręſentia, defendebantur patrocinio, nunc tragico tecti velamine occaſu mærent, vileſcunt abſentia, deſtituuntur tutela; Quis dabit ergo capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lachrimarum, quo iacturam hanc maximam conſonis ſingultibus cōpenſemus? Ipſe verò qui oratoris non lachrimantis prouinciam ſuſcepiſſe coactus ſum, nè lachrimarum Oceano obruar, conſolātem quæro, quo officium impoſitum ad tanti doloris feritatem mitigādam, ſi non adimplere, ſaltem attingere, aut certè fingere valeā; ſed non inuenio. Nouum ergò portentum vobis hodie videri com- Tren.c.5.

pellar

pellar , quod neq; Lyſippus polita manu cudere , neq; Apelles docto pollice linire cognouit . ; mærenti nempè facie , irriguis oculis, rauca voce , viribusq; ſpirituum conſternatis ora habere ridentia, conſolantisue munus obeuntia. Quoties equidem animus meus ſecum examinat, quæ de Sereniſs. Margarita Auſtriaca dicenda occurrunt ipſa magnitudine ſuo exitu carent. aduerſantur ferales dolores eius meritorum gaudijs, cum talem reminiſci Dominam dulce ſit, tali carere ſupplicium. Duplex itaq; materia me concitat, illinc ad laudum ſuarum ſermonem trahit, hinc ad ſingultus retrahunt damna communia. Parcite quæſo Excellentiſſime Princeps. R R. Patres, Illuſtres Heroes nobiles Ciues, ſi diſſentientibus ſibi duobus his affectibus, menti oris mei officium tanquam geminis ſeruitium debitum dominis abnegat, nā quæ in laudis partibus recordatio ſuppeditare videtur, hæc eadem inter damna computans, doloris ſibi vendicat acerbitas. Quamquam, & ſi animo eſſem tranquillo, & menti lingua obtemperaret, non affluentius laus eius meis ſermonibus pangi poſſet, quam in veſtris ſenſibus manet: nemo enim reperitur, vt arbitror, cui non tantę Ducis merita maiora occurrant, quam poſſit opulentiſſima cuiuslibet explicari facundia. Et licet nil tam rei amiſſæ dolori incrementum adminiſtret, quā virtutum, & gratiarum eius memoriam recolere; cum tot ſint ferientia animos noſtros iacula, quot gratiarum, & virtutum eius capita; adiuuabunt tamen ſenſus veſtri meos conatus, & quod ſermonibus explicari minimè poterit, veſtramet pectora proprijs cogitationibus eloquentur. Inſuper impoſſibile mihi fore reor, in tot virtutum eius laudibus vocem rumpere, ſi per laudes, non mortuam, ſed perenni cum Chriſto beatitudinis gloria perfrui demoſtrauero, & ſic hiſce medijs commune damnum leuare coacti, Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis deprecandum eſſe cenſeo, quo dulce diuini ſolaminis ſubſidium, ad eximias noſtrę Sereniſſ. Margaritæ laudes recolendas impertiatur, nè lachrimarum nimbis obrutus ex propoſito abducar. Tu ergo Deus qui in tuorum tribulatione paracletus ſemper ades, tuę conſolationis rorem mærentibus infunde, quatenus tui almi ſpiritus gratia, mens, & lingua afflata, ad circumſtantium ſolamen, & ædificationem, Sereniſſ. Margaritæ Auſtriacæ integerrimi mores, inſignis pietas, liberrimi, beneuolentiſſimiq; animi candor, & ſynceritas, generoſi actus, ardentiſſima religio, felixq; obitus per me hodie recenſeri

valeant

valeant, quibus virtutum meritis dum in terris degit ornatam, beatitudinis præmium communi mortalium fato demum cedentem cum tuis ſanctis, piè ſperamus aſſequutam.

Vſitatiſſimum eſt omnibus oratoriæ diſciplinæ peritis, quorum laudandam receperint vitam, prius patriam nobilisq; prolis originem celebrare, vt quod in proprijs virtutibus deſuit, in patrum gloria præceſſiſſe videatur: Nos autem in Domino idem ſumus, quibus ſummum excellentiæ faſtigium eſt inter cęleſtis Patris filios computari, nec adijcere quicquam ad terrenæ nobilitatis originem ornatus, niſi bonis, ac ſanctis operibus poteſt. Nemo eſt in ſuperna regione nobilior, quam qui ſupra patrum ſtemmata, virtute præuia, tantum elegit Chriſti patrocinio cenſeri. Quare omittendum fore duxi, quàm magnæ in Sereniſſima Margarita extiterint dotes naturæ, quò ſilicet ingenij fuerit acumine perſpicax, quáue corporis venuſtate decora: omitto etiam maiora, quibus micuerit, fortunæ munera, diuitias, opes, auita illius ſublimium honorum inſignia; & quicquid ſummum, ac concupiſcibile mundus habere poteſt. Omnibus ferè patet, Glorioſiſſimi Caroli Quinti eius Patris, inter omnes Imperatores bello, pace, & religione ampliſſimi magnanimitas, & potentia; Inuictiſſimi Philippi Hiſpaniarum, magnarumq; Prouinciarum Regis potentiſſimi, fratris, admiranda æquitas, & ſpectata religio: Sereniſſ. Ducis Octauij mariti ſupra cunctos ætatis noſtræ Principes clementiſſimi decus, & fama: Magni Alexandri Belgici filij Heſperiæ noſtræ fulgoris, in bellis gerendis vires, prudentia nomen, et gloria. Ad ea potius ſermo noſter feſtinet maxima dona qbus effulſerit, qua ſilicet prudentia cum ſimplicitate in omni beatæ vitæ curſu viguerit, qua iuſtitia cum clementia in populorum regimine ſe geſſerit, qua animi fortitudine cum modeſtia ſupra modum ſexus exceſſerit, qua temperantia, & liberalitate, cunctas ſeculorum omnium Heroinas anteierit; quam demum charitatem, erga quos viuens ſemper ſancto fouit amore, moriens oſtenderit: Et primo in eius ſumma prudentia tãquàm reliquarum virtutum fonte, & origine, cum in boni, rectiq; perſpicientia, ſit poſita, immoremur. Cui vnquàm quæſo priſcæ vel noſtræ ætatis fæminæ, tanta candidæ mentis prudentia in populis gubernandis, rebuſq; omnibus gerendis diuinitus eſt collata? norunt Belgæ, norunt Samnites, noſtis & vos Placentini Ciues in veſtrę ciuitatis regimine eius irreprehenſibilem prudentiam, quoties ad benè, beatèq;

viuendum

viuendum impedimenta, & obices, nonnullorum prædonum ingluuie intra vrbis veſtræ mænia vagantium, extra fines expulit, quoties alienis regionibus fame laborantibus abundantem populis ſibi ſubditis non defuturam fore ſtuduit annonam? quoties, quoties, inteſtinis odijs diſſentientes inter ſe ciuitatis veſtræ primates, ad pacis quietem, & tranquillitatem ſua prudentia reduxit? Illud tandem, de incomparabili eius prudentia commemorandum eſt, quod cum olim huius inclytæ ciuitatis res, inuidæ fortunæ iniuria à ſuorum principum obedientia defeciſſent, in tanta rerum humanarum viciſſitudine integram animi conſtantiam conſeruans, tanta prudentia apud Auguſtiſſimum Carolum Quintum parentem eſt vſa, vt non ſolum eius votis Clementiſſimus annuerit Imperator, verum etiam effecerit, vt cognita Sereniſs. Fernesiorum virtute, & ſynceritate, maioris admodum dilectionis affectu, inuictiſſima Auſtria Domus eos in poſterum fuerit proſequuta. Non ab re etiam erit, & illud prudentiſſimi pectoris ſpecimen enarrare: Cum ſexus fragilitatem, cui timebat agnoſceret, honeſtam induſtriam, turpi ſemper ocio prætulit. Nam textorio retium operi ſtatutis horis incumbens iuxta ſapientis laudes, panem ocioſa non comedit. non latebat equidem quod in Eccleſiaſtico legitur. Multam malitiam docuit ocioſitas. cum verò quadam die à quibuſdam nobilibus fœminis, quæ ad eam adire ſolebant, obiurgaretur, cur laborioſa, textorio operi tanta Duce indigniſſimo vacaret. tale hiſce, quibus leua mens fuerat, reſponſum dediſſe perhibetur. Cur vos potius non pudet amicæ inertiam ſectari, & ocium malorum omnium fomites? ignoratis, vt video, quod à ſanctis Patribus traditum refertur. quòd ocioſitas inimica eſt animæ: & alibi ſemper aliquid boni facito, vt diabolus te inueniat occupatum. ſi volumus ſorores amantiſſimæ ſaluti noſtræ conſulere ocium pernicioſiſſimum animæ hoſtem reputemus: deinceps itaq;, ſi qua veſtrum mecum tempora traducere maluerit, ſecum deferat per quod mecum operetur. ô mira canæ mentis operatio, ô ſollicita de ſalute intentio, ô ſapientiſſimum mulierum omnium ſpecimen, & ſpeculum, merito huic prudentiſſimæ Heroinæ poſſumus illud à Syrach filio relatum aſcribere. Collaudabunt multi ſapientiam eius & vſq; in finem non delebitur. erat .n. illi ſenectus non tam annis cana, quam gratijs; non tam grauis artubus, quam moribus prudentiſſimis vetuſta. Audeo etiam dicere quod ſi mortalium arbitrio hominum vultu exprimenda eſſet prudentia, Sereniſſimæ

Prou. c. 31. Eccleſiaſt. cap 33.

Eccleſiaſt. cap. 39.

reniſſimę Margaritæ Auſtriacæ aſpectu, potiſſimum pingi debere videretur. In qua nec prudentia minor reſplenduit iuſtitiæ cultus, à quo non aſſentationes, non adulationes, non preces, non fauores, aut odia vlla veſtigium vnquàm remouere potuerunt, quo ſacroſanctam ęquitatis ſeriem alicuius in fauorem, vel damnum temeraret. Cui illud argumento eſt, quod cum ſæpe dum fata ſinebant ab aſſiduis occupationibus animum ſubtrahere ſtatueret, in noſtri monaſterij prędia declinare conſueuit: aſſerebat etenim, vobiſcum Patres optimi Dei ſeruis mentem a quotidianis curis lauare decreui: Scio quidem Patres vos, niſi quæ ab ęquo non diſcrepant, & Deo ſunt placita, poſtulare; non deſunt mihi florentiſſimi Placentinorum horti, & loci amęnitate, & tranquilla aeris temperie nobiles, in quibus cum dominorum precibus, & gloria ſpaciari, & ruſticari poſſim. verumtamen nè à recto iuſtitiæ tramite quoquo modo euelli videar, vel certè petitionibus eorumdem ab æquitate aliquando diſſonis, tanquam eis obnoxia aures adhibere compellar, tale potius vobis incommodum bonitatis veſtræ fidutia ingerere auſa ſum. Quid eſt quod loquebaris ò Domina? quod nobis ſingulari excellentiæ, ac dignitati aſcribebatur, incommodum appellabas? Quid iucundius? quid præſtantius? quid vtilius? quid, vt ita dicam, glorioſius nobis vnquam contingere potuit, quam eius, quæ ſemper erat munificentia nobilis, temperantia inſignis, æquitate ſumma conſpicua manſuetudine celebris, vaniloquentiæ hoſtis, pietatis amica, omnibus probitatis numeris abſoluta, hoſpitales meruiſſe fieri? O admiranda æquitatis obſeruantia, ô inauditus, & inuiolabilis iuſtitiæ cultus, ô ſanctus timor, qui nè ſacratas ęquitatis leges violare videretur, ab honeſtis ſemouebatur oblectationibus, & à licitis abſtinendum maluit delitijs. æqualem iuſtitiæ retinuit clementiam, & benignitatem quarum virtutum tanta ei extitit exuries, quanta apud eam viguit iuſtitiæ ſitis: Quamobrem timorem pariter, & amorem ſibi conciliauerat populorum. ita .n. hos duos affectus in vno quoq; ſuorum collocabat, vt & amor ſui delicti metum, & timor diſciplinæ induceret amorem; ſtudebat nihilominus potius amore regere, quam terrore dominari; vt voluntaria magis, quam coacta correctio hunc quoq; ſubditorum adijceret ornatum, ne ad officium ſuum compulſi putarentur. Quæ de inſuperabili eius animi fortitudine, vt prædicen-

tur, occurrunt, ſi vellem in ſingulis immorari , & vires ad dicendum non ſufficerent , & tempus non ſatis eſſet hodiernum: cùm hiſtoriæ, & hominum monumenta, totq; doctiſſimorum virorum orationes hactenus editę , ea toties fuerint eloquutæ . Quare neminem latere arbitror, quod cum in Belgas ad feroces regendum populos ab inuictiſſimo Philippo Hiſpaniarum rege, atq; fratre, fuerit deſtinata ; & cum per ſeptem integros, & amplius annos, ſolita prudentia , ac æquitate rexiſſet, vt beatiſſimæ Belgicæ nationes ſub diuinæ Margaritæ regimine ſibi viderentur ; Demum cum impia Caluinicæ peſtis labes infelicium populorum corda infeciſſet , adeo vt pro deſideriorum ſuorum , laxiorisq; vitæ dogmate contra Catholicæ veritatis regulam arma capeſſerent, non metus, non impetus, non conuicia, non pericula , nec aduerſa vlla profecerunt , vt eius inexpugnabilem animi fortitudinem, vel precibus flecterent, vel terrore concuterent , quò eorum peſtiferis dogmatibus aſſentiret, vel ſecundum ea viuere aut prædicare permitteret, immo tanta fuit fortitudine prædita , vt cum paucis qui ab antiqua Catholicæ religionis norma non receſſerant, ingentes hæreticorum phalanges ex Antuerpia, alijſq; ciuitatibus vna & eadem labe inquinatis eiecerit. Quibus eiectis non aliò cor , quàm ad diuini cultus reparationem affixit : templa, ac cætera pietatis loca, à ſacrilegis hęreticorum manibus eruta proprijs impenſis reparanda, & erigenda munificentiſſimè curauit. O felix munificentia cui fides miniſtrauit, O felix fides cui munificentia nunquam moram fecit . Compoſitis itaq; ita vt temporum calamitas permittebat rebus ; cum pro religione de principatu contenderetur, ferro ; ac armis cenſuit religionem ipſam , Fratriſq; regnum fore vendicandum, ac defendendum . Quare Magno Alexandro, relicto grauiſſimi belli apparatu, ipſa in Italiam ad quietiorem vitam traducendam Rege fratre concedente remeauit , & Amiterni vrbis ſuſcepto regimine ſecus Samnites ſedem ſibi collocauit. Quibus populis exploratiſſima ſemper extitit eius admirabilis morum ſuauitas, ſumma benignitas , ſingularis humanitas , pietas integerrima, vitæ moderatione conſpicua , diuinarumq; rerum ſtudio feruida, affabilitas iucundiſſima, vt de illa verè dici poſſit examen in eius ore fauum mellis poſuiſſe . Quid deniq; de temperantia dicemus? an ne mortalium quiſpiam ita blandimentum cum ſeueri-

tate

tate coniunxit ; quisue vnquam miſtam lætitiæ diſciplinam tradidit ? quis moderatę vitæ ſic legem adimpleuit ? longum eſſet omninò , altioriſq; ingenij munus omnes virtutum eius effectus enarrare , quos ſi quis priſcæ eloquentiæ author attingeret , non ſolum facundia non ornaret , ſed victus materię mole ſuccumberet . Quis enim ſoli lumen afferre niſi fatuus quiſpiam aggrediatur ? Quam plurima ideo , quæ de illius ingenij ſublimitate prædicari poſſint conſultò dimittimus , cum longè maiora ſint , quam noſtra capere poſſit commendatio , ſatis tantummodo videatur ex pluribus , & propemodum infinitis pauca decerpere . Ex Theologicis virtutibus adeò humillima charitatem ſectabatur , vt Creatorem ſuum pedes diſcipulorum lauantem , in quinta feria cęnę Domini , non dedignata ſit imitari , nam duodecim puellarum equidem pauperrimarum pedes quotannis lauit , & abſterſit , easq; dotatas dimiſit . pia loca ita crebro , ac tali deuotione pedeſtri itinere inuiſebat , vt omni populo admirationi , & exemplo eſſet , in egenos , & religioſos miſericors, & liberalis . ad ſubleuandam enim R R. Capuccinorum Fratrum , voluntariam extremamq; pauperiem , ita fuit quolibet anno ſollicita , vt ex ampliſſima ſuæ munificentiæ largitione , in prouincia , in qua morabatur locorum omnium fratribus ſingula ſingulis indumenta condonanda ſtatuerit . in viduarum , pupillorumq; protectione tutrix acerrima , in Placentinos ciues quos ſemper ex animo dilexit mater amantiſſima , & vsq; in finem dilexit eos ; cuius quidem rei illud extitit , euidens ſignum , ſuæq; dilectionis perenne pignus , quod cineres ſuos vobis cuſtodiendos reliquit , & templo huic , quod viuens præcipuorum tot beneficiorum gloria ſemper effulſit , moriens ſui corporis mauſoleo ornatus incrementa præbuit . An poterat lucidiori indicio antiquę munus beneuolentiæ erga nos teſtari? AEquum ſiquidem fuerat , vt , qui in proprijs cordibus diuinam eius geſtarent imaginem , & corpus ad nouiſſimam vsq; tubam tueri , & eodem decorari . O vtinam pectora noſtra (vt Socrates aſſerebat) feneſtrata conſpicerentur , quam facillimè quisquam per ea rimari poſſet , in quo loco tam diuina reſidet imago , & ſicut inclytæ virtutes immortalem in cælum perduxerunt , ſic à pectoribus noſtris , nulla temporum vetuſtas , nulla ætas , nulla obliuio , earumdem virtutum memoriam delebunt : quarum habitu dum nobiſcum degit , tale

emolumentum traxit, vt cum ad mortem fuerit infirmata carnis deſtitutionem non horruerit. Nam quinta ante ſuũ felicẽ obitũ die, cum quaſquam de famulabus collachrimantes animaduerteret. quid inquit, fletis ineuitabilem humani generis neceſſitatem? intuemini quam fragile habitamus hoſpitium quantumlicet viuendo aſcenderimus, illinc morte pręcipitamur ab hac neceſſitate, neminem honores, vel diuitiæ, neminem doctrina, vel pulchritudo, neminem pietas, vel iniquitas liberant; hæc iuſtis, & iniuſtis, hæc ſapientibus, & indoctis, hęc humilibus, & potentibus communis eſt; immortales Chriſto domino debemus gratias, qui morte, & reſurrectione ſua, mortem noſtram ſpe reſurrectionis animauit immarceſſibilem vitam offerens, eliminato mortis horrore. hęc & alia ex intima pudiciſſimi cordis deuotione proferens, cum nouiſſimam propè horam agnoſceret, ſanctis Eccleſiæ ſacramentis ſe muniendam non diſtulit, ſacrum confirmationis characterem, quo ſe inſignitam non recordabatur, accerſito Ortonenſi Epiſcopo deuotè ſuſcepit, factoq; pię conſcientiæ examine, culpæ, ſi quæ fuerunt, per humilem deleuit confeſſionem; ſanctiſſimo corporis Chriſti ſuſcepto viatico, oleoq; vnctionis extremæ munita, vt fortis athleta de inimicis victoriam, & virtutum præmium expectabat: & ſic pręmeditata illa vltima hominum neceſſitas non repentina aduenerat. Ordinatis igitur, quę ad pietatem ſpectabant, rebus, cum caros ſuos mente percurreret, quot nominatim proferre laſſitudo permiſit, per eos qui aſtabant ad Sereniſs. Maritum, Filium, & Nepotes ſalutationem direxit. vbi tandem ſuos vberrimè conſolata eſt abſtergens ſermone iucundo, & ſuperno cęleſtis gratię rore referto, & benè condito circumſtantium lachrimas, quas quò magis abſtergere nitebatur, eò affluentius commouit; pijs ad Dominum ſe commendauit precibus. Iamq; membrorum deficiente miniſterio, ſemper noua gratia in beatiſſima illa anima pullulabat: concurrentibus enim ad eam tunc temporis vrbis Rectoribus cum ſenatorijs viris, quanta adhuc ſub mortali frigore feruentia mandata deprompſit, acerrimum ſumens exhortationis exordium. Dignum planè erat, vt, quę ſemper beatæ vitę exempla viuens prębuerat, mortem etiam ſuam, in exemplo moriens aduocaret, & ſic illud ſancti ſpiritus receptaculum nil aliud niſi dulciſſimum ſaluatoris noſtri nomen perſonans,

omnibuſq;

omnibuſq; vale dicens, iunctis ad cęlum manibus in pace quieuit. ſomno illo vltimo excepta transijt ſine vllo, vt ſe ſolent habere extrema, luctamine, nullaſq; difficilis obitus moras ſenſit. non poterat equidem quę benè, & ſanctè vixerat, niſi optimè, & ſanctiſſimè mori. felicisſimis cęleſtium ciuium choris anima illa ſancta, generoſa ſyncera, ab omni ſeculi huius contagione expiata ſuſcipitur, & nos orphanos in hac lachrimarum valle reliquit. Deducant ergo oculi noſtri aquam per diem, & noctem, & non taceant, percuſſi enim ſumus plaga peſsima vehementer. Nec propter te ò Domina tales emittimus eiulatus, pie namq; ſperamus te in cęlis immortalitatis triumpho perfrui, ſublimiumq; virtutum tuarum, pręmium nunquam deficiens poſsidere, ſed propter nos tanto deſtitutos patrocinio, quorum vnus quiſq; ſemper cum Lucretio dicet; Horrifico ſateor cinefactam te propè buſto, Inſatiabiliter deflebimus æternumq; , Nulla dies nobis męrorem è pectore demet. Tamen humanam mortis neceſsitatem agnoſcentes, & nouæ vitę gloriam, quam in cęlis aſſequuta es ò Domina, conſolationem de tuis ęternis bonis ſuſcipimus, ſperantes, quod, quemadmodum iucundiſsima illa tutelę tuæ erga nos cura, noſterq; cultus, & obſeruantia, clariſsimarum virtutum tuarum, ingenijq; ſanctiſsimi cognitione aucta, & tuo in omnibus rebus patrocinio confirmata, efficiunt, vt nullo vnquam tempore, nec remotiſsimo quantumuis loco immemores tui eſſe poſsimus, ſic tu in ſupremo cęlorum habitaculo noſtrorum omnium aduocata obliuiſci non poſsis. memento itaq; amica Dei, memento iugiter noſtri, quæ Deo pura adſiſtis, canens illud canticum nouum, & ſequens agnum quocunq; ierit, tu illi pediſſequa, tu pro nobis patrona clementiſsimum preceris Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt tecum tandem felicis regni fieri mereamur hęredes. Dixi. Hierem. cap. 14.

FINIS.

Venia à Superioribus Conceſſa.

Errata quæ in impreſsione commiſſa ſunt ſic corrige.

In epigram. Ioannis Pontii in verſu tertio pro duxit Octauius, lege duxit me Octauius.
Pagina prima linea 11. immortalis, immortali.
pag. 5. lin. 3. aculeo, aculeum.
pag. 6. lin. 25. ſuffectiones, ſuffitiones.
pag. 7. lin. 18. perpexit, perſpexit.
pag. 11. lin. 8. clauem, latera, & lin. 10. rarum lege ramum:
pag. 14. lin. prima verſiculum, verſiculus, & linea 12. corpore, corpori.
pag. 19. in verſu 24. habet, habent.





SPECIAL
94-B12858
XXY
THE GETTY CENTER